

Absalomis capillorum segmenta ducentis siclis ponderasse, sed duntaxat capillos capitis illius ducentis siclis appendisse: *Ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis*. Si autem quaeras, quinam capillos in capite remanentes, aut quomodo ponderaverint, respondet *Calmet*, loc. cit. pondus illorum, qui in capite relinquebantur, aestimabatur ex illorum pondere, qui secti erant: atque rem circiter ad calculos redigebant, utrorumque habita ratione, quid simul sumpti possent appendere; atque iuxta hanc explanationem caesaries *Absalomis* habuit, ut ait *Calmet*, pondus aequivalens 31 ferme uncis gallicis.

SECUNDA responsio est *Sanctii* (1), *Tirini* (2), et aliorum dicentium, sensum citati textus non esse, quod capilli *Absalomis* fuerint adeo graves, ut quoad pondus aequivalerint ponderi ducentorum siclorum, sed quod ipsorum pretium, quo vendebantur, fuerint ducenti sicli, ita ut citatus textus: *Ponderabat capillos capitis ducentis siclis*, hunc sensum habeat: *aestimabuntur capilli capitis ducentis siclis* (3). Ut autem hoc magis intelligatur, inprimis notandum, quod iam antiquis illis temporibus ii, qui elegantes videri volebant, adscititiis ornamentis capillos suos nitentes reddebant. Sic fecerant adolescentes, quos secum in suis deliciis et maiestate adducebat *Salomon*, si quando in agros animi gratia cum regio apparatu progrediebatur. Aureis enim ramentis, et tenuissimo pulvere aspergebant capillos, ut aurei viderentur, et solaribus radiis non dissimiles. Sic *Iosephus* (4) inquit:

(1) Comment. in II. Reg. c. 14, v. 26.

(2) Ibid.

(3) Ita etiam hunc locum Scripturae exponit cl. *Weitenauer* in sua germanica versione bibliorum, addens notam quae

« Equis optimis *Salomonis* insidebant equites, flos iuventutis procerae staturae, prolixo capillitio conspicui. Ad haec ramentis auri capillos quotidie spargebant, ut ad solarium radiorum contactum fulgore capitibus eorum reflecteretur. » Quod etiam fecisse dicuntur quidam principes, inter quos, teste *Sanctio*, loc. cit. fuere imperator *Commodus* et *Gallienus*. Huiusmodi comas habuit *Absalom* flavas, non ab aliquo artis lenocinio, sed a natura: quae sic erant splendentes et aureae, ut magno impendio emerentur a solymitanis puellis, vel aliis, ut uterentur pro suis: quod fieri saepe solitum antiquo aevo legimus, et nostrò quotidie fieri solet. Non est tamen verosimile, quod *Absalom* regis tanti filius quaestum ex capillis suis publice venum propositis quaesiverit, sed dono dabat cui volebat e suis; qui dein pretium supra dictum a puellis solymitanis, flavos illos ac rutilos capillos in sui capitis adscititiis ornatum magna contentione, ambientibus facile extorquebant; praesertim quia illae summo sibi honori duxerunt, regii principis capillos ornare capita sua. Hoc adhuc verosimilius redditur, si ponatur pretium ducentorum siclorum fuisse quo aestimabantur non soli capilli detonsi, sed hi una cum reliqua caesarie in capite tonsi *Absalomis* remanente: ferme sicut iuxta primam responsionem pondus ducentorum siclorum erat pondus non solorum capillorum detonsorum, sed horum una cum capillis in capite *Absalomis* remanentibus. Hoc enim posito, pro emendis detonsis illis capillis non tota summa

latine ita sonat: « valor huius pulcri capillitii aestimabatur 200 siclis, quod penes nos aequivalet 100 florenis. »

(4) L. 8 antiq. c. 7.

200 siclorum, sed tantum pars aliqua huius summae sive pretii pendi debebat: ut consideranti patet.

31. QUARES XXIX. *An non est absurdum, et fabulae proximum, quod* (II. Reg. 18, v. 9-15) *narratur, Absalomum propriis suis capillis suspensum in arbore fuisse, et quidem per aliquam temporis moram?* R. Hac obiectione pictores quidem et sculptores, qui *Absalomum* capillis suis ex arbore suspensum exhibere solent, impugnari possunt, non vero sacer historicus, qui hoc loco nullam de capillis explicitam mentionem facit, sed solum dicit caput eius (nempe *Absalomis*) *adhaesisse quercui*. Textus enim sacer ita sonat: « Accidit autem ut occurreret *Absalom* servis *David*, sedens mulo: cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum et magnam, adhaesit caput eius quercui: et illo suspensum inter coelum et terram, mulus cui insederat, pertransivit. » Porro opinio communis, quam etiam pictores et sculptores sequuntur de suspensio ex propriis capillis haud dubie est inde profecta, quod II. Reg. 14, v. 26 (ut praecedente quaestione vidimus) de prolixia eius, et eleganti coma fiat mentio, et ipse textus hebraeus huic opinioni favere videatur, qui teste *Cornelio a Lap.* (1), ita sonat: *Adhaesit caesaries eius in ramis perplexis quercus*. Verum *Calmeto* (2) et *Weissenbachio* (3) haud ita verosimile videtur, virum armorum pondere gravem diutius hoc pacto pendere potuisse, atque capillos ipsius ita implicari, ut diutius corporis pondus et armorum, et eiusdem

(1) Comment. in II. Reg. c. 18, v. 9.

(2) Comment. in eundem Scripturae locum.

(3) Tom. 2 nova forma theol. bibl., q. 21, pag. 80.

motum, quo prae nimio dolore agitabatur, sustinerent. Neque Scriptura ait ipsum capillis, sed capite pependisse; *adhaesit caput eius quercui* (4). Quamvis ergo caesaries *Absalomis* verosimiliter condensae quercus ramis implicata fuerit, non tamen necesse est dicere, eundem ex hac sola suspensum pependisse, sed mulo vectus caput inter duos ramos illisit, qui ad collum ipsius ita in arctum coacti sunt, ut inde nequiverit se exsolvere, neque manibus iam uti, ut se liberaret. Atque hoc videtur etiam indicare graecus textus LXX interpretum, qui in latinum translatus ita sonat: « Et implicatum est caput eius in arbore, et suspensus est in arbore inter coelum et terram. » Item paraphrasis chaldaica, quae ita habet: « Et apprehensum est caput eius in quercu, et suspensus est inter coelum et inter terram. » Similiter *Vatablus*, dicens: « Detentum est caput eius a quercu. » Et s. *Io. Chrysostomus* (5), sic *Absalomum* alloquens: « Adest, inquam, arbor in campo ramorum telis ornata, quae te excipiat fugientem, properantem rapiat, » et post intervallum ita pergit: « Paratam propere festinat ad arborem, cui est traditus, et ictu violento immissus, animali subducto, et subter in campos elapso, inseritur ramis, obligatur lignis, transfixus gutture colligatus. » Et *Theodoretus* (6): « De illo, inquit, scelerato iustas (Deus) sumpsit poenas. Effecit enim, ut in querceto equitans veniret sub arborem, quae ramos habebat inclinatos, ut qui oblique geminarant, non multum inter se di-

(4) II. Reg. c. 18, v. 9.

(5) Tom. 1 operum s. *Io. Chrysostomi*, homil. de *Absalomo* persequente patrem.

(6) Tom. 1 operum *Theodreti* cyrensis episcopi, in libros Regum, q. 54.

stantes. Illic cum venisset mulus, inter ramos quidem infixum fuit eius caput, pependit autem totus. Transmisit autem mulum foliorum strepitus. Ille autem mansit suspensus, iucundissimum spectaculum viris piis, et omnia administrantis providentiae iustam ostendens sententiam. » Quae omnia haud obscure confirmant sententiam illorum, qui dicunt, *Absalomum* non ex capillis, sed capite a ramis arboris intercepto suspensum pependisse. Et sane, ut etiam *Sanctius* (1) observat, ex textu tam hebraico, quam latino vulgato (i. e. nostrae vulgatae latinae) nihil convinci potest in oppositum. Tantum enim ex utroque habemus, adhaesisse caput quercui, et illum suspensum fuisse inter coelum et terram. Utrumque vero contingere potuit, inserto collo inter ramos coarctantes, ut *Theodoretus* modo citatis verbis indicat, et s. *Chrysostomus* innuere voluisse videtur, dum de *Absalomo*, loc. cit., ait: *Inseritur ramis, obligatur lignis, transfixus gutture colligatus.*

32. QUAERES XXX. *Quomodo Adeodatus filius saltus* (II. Reg. 21, v. 19) *Goliath Gethaeum percutere potuerit; cum iste* (I. Reg. 17, v. 4) *iam a Davide fuerit occisus?* R. Memoratus *Adeodatus* occidit *Goliath Gethaeum*, hoc est fratrem *Goliath* gigantis, quem occidit *David*, ut expresse dicitur I. Paralip. 20, v. 5, his verbis: « Aliud quoque bellum gestum est adversus philisthaeos, in quo percussit *Adeodatus* filius saltus *Bethleemites* fratrem *Goliath Gethaei*, cuius hastae lignum erat quasi licitorium textentium. » Frater (a) igitur *Goliathi* pariter vocatus est *Goliath*; aut potius dictus

(a) H. e. cognatus vel consanguineus quicumque; haec enim vocis hebraicae תאָן potestas (Nota Editoris).

(1) Comment. in II. Reg. c. 18, v. 14.

est *Goliath*, eo quod proceritate, robore et viribus similis esset *Goliatho*, quem stravit *David*. Sic vulgo de viro eximie forti dicimus: Iste est alter *Hercules*, vel alter *Samson*.

33. QUAERES XXXI. *An verosimile sit in Palaestina regione tam exigua tempore Davidis fuisse octingenta millia virorum fortium, et in sola tribu Iuda quingenta millia pugnatorum; ut Scriptura* (II. Reg. 24, v. 9) *dicit, aut facta iam divisione decem tribuum a tribu Iuda et Benjamin, in solo regno Iuda sub rege Iosaphat fuisse viros bellatores et robustos ad undecies centena et sexaginta millia* (II. Paralip. 17, v. 13-19), EXCEPTIS ALIIS, QUOS POSUERAT IN URBIBUS MURATIS IN UNIVERSO IUDA? R. Haec nequaquam sunt incredibilia, si ad sequentia attendatur. I. AD STUPENDAM HOMINUM MULTITUDINEM illis temporibus in Palaestina degentium. Certe teste *Iosepho Iud.*, ut alibi (2) distincte demonstravimus, in sola Galilaea (cuius regionis incola, imo praefectus erat memoratus scriptor) erant tres milliones et sexaginta millia incolarum. II. AD SUMMAM PALAESTINAE TUNC TEMPORIS FERTILITATEM pro alenda ingenti hominum copia abunde sufficientem, ut pariter iam alibi (3) a nobis ostensum est. III. AD AMPLITUDINEM REGNI DAVIDICI ET SALOMONICI. Nam tempore DAVIDIS ET SALOMONIS israelitae non tantum a Dan usque Bersabee, vel ab introitu Emath usque ad torrentem Aegypti, sed ab hoc torrente usque ad fluvium magnum Euphratem dominati sunt, et omnes interiectos populos sibi fecerunt vectigales et tributarios iuxta illud (4): « Exercuit etiam (SALOMON) potestatem super cunctos

(2) S. Script. contra incred. propugn., V. T., p. 1, sect. 2, c. 5, q. 58, ad secundum.

(3) Ibidem pag. 140-144 ad tertium.

(4) II. Paralip. c. 9, v. 26.

reges, a flumine Euphrate usque ad terram philistinorum, et usque ad terminos Aegypti. » Quod ipsum mox infra (1) pluribus ostendemus. IV. AD MAGNITUDINEM REGNI IUDAICI, REGNANTE IOSAPHAT. Tunc enim ditio regum Iuda nequaquam conclusa fuit limitibus tribuum Iuda et Benjamin (2). Latius enim patebat in tribus Dan, Ephraim, et Simeon, nec non in Arabiam et philistinorum regionem, et, ut paucis dicam, a Bersabee, et a Pelusio usque ad montes Ephraim, atque a Iordane usque ad Mediterraneum. Unde alii limites regno Iuda constituendi sunt quam qui plerumque ponuntur; duplo enim maior, teste *Calmeto* (3), patebat illi regio, quam in tabulis geographicis obtineat. Non est igitur cur vehementer miremur instructissimos illos regum Iuda exercitus. Regio enim, ut paullo ante diximus, erat culta et maxime feracissima; cui ad commodum accedebat cum finitimis populis commercium terra marique: quibus omnibus consideratis, abunde numerus ille militum et etiam maior sustentari poterat; praesertim cum eae, quae ad meridiem Iuda squallidae nunc iacent regiones, florentissimae tunc erant maxime, ut pariter iam alibi (4) observavimus. V. AD ALIAS CIRCUMSTANTIAS. Nam etiam illud consideratione dignum est, quod quamvis sub *Iosaphato* regnum Iuda a regno Israel iam fuerit discissum; tamen multi ex decem tribubus a-

(1) Quaest. 58.

(2) Vide *Calmet* comment. in II. Paralip. c. 17, v. 19.

(3) Vide huius auctoris animadversiones in tabulam geographicam *Terrae promissionis* quas t. 2 ante comment. suum in lib. *Iosue* posuit.

(4) S. Scriptura contra incred. propugn., V. T., loc. cit.

(5) II. Paralip. c. 15, v. 9.

(6) L. 1. de situ orbis, in descriptione

vitae religionis studiosi, et prosperitate *Iosaphati* illecti, ad Ierusalem transfugerint; uti fecerunt sub eius patre *Asa*, iuxta illud (5): « Congregavitque (rex *Asa*) universum Iuda et Benjamin, et advenas cum eis de Ephraim, et de Manasse, et de Simeon; plures enim ad eum confugerunt ex Israel, videntes quod Dominus Deus illius esset cum eo. »

VI. AD VETERUM BELLANDI RATIONEM. Nam sola urbs *Thebae* in Aegypto, (saltem prout *Pomponius Mela* (6) narrat) centum portis instructa poterat per quamlibet suarum portarum eodem tempore decem millia pugnatorum, adeoque universim exercitum millione hominum constantem in aciem educere. Nimirum non debent tam remota tempora cum nostris, et tam disparibus populorum mores cum nostris comparari. Non omnes, qui antiquis illis temporibus pugnabant, erant, ut hodie, homines militiae stabiler destinati. Dicebatur populo, ut ad arma convolent: et quicumque arma portare poterat, ea arripiebat. Unde haud mirum confluisse immensum exercitum.

34. QUAERES XXXII. *An verosimile sit, quod Deus optimus ob numeratum a Davide populum 70 millia virorum pestilentia occiderit* (II. Reg. 24, v. 15; item I. Paralip. 21, v. 14): *cum tamen non iniquum, sed potius officium principis sit, scire numerum suorum subditorum*

Aegypti, prope finem, ubi ita ait: *Thebae* utique (ut *Homero* dictum est) centum portas, sive (ut alii aiunt) centum aulis habent, totidem olim principum domos, solitasque singulas, ubi negotium exegerat, dena armatorum millia effundere. Porro hae *Thebae* Aegyptiae alio nomine vocantur *Diospolis*, aut urbs *Iovis*, vel propter memoratas centum portas *ἑκατόμυλος* *Hecatompulos*.

maxime militum? R. Equidem hanc quaestionem increduli movent, et teste cl. *Bullet* (1) hunc in modum arguantur. « In hoc *Davidis* facto, inquit, nihil reprehensione dignum reperitur. Quilibet enim rex vel alicuius territorii princeps robur sui regni aut ditionis scire debet; sed tali modo non solum non est poena dignus, si censum populi sui instituit, sed officium suum implet. Cur ergo Deus *Davidem* punit ob factum, quod non solum culpa vacat, sed ipsum regis officium ab ipso postulabat? » Verum ad hanc incredulorum cavillationem respondemus, quod factum etiam de se bonum vitetur, et fiat malum, si ex malo fine, aut in circumstantiis Deo displicentibus ponatur. Iam vero *David* ex vitioso fine, et in circumstantiis Deo displicentibus populum numeravit. Nam hic princeps tunc alta fruebatur pace: subditos habuit sibi addictos et imperio suo obtemperantes, hostes vero ex-

(1) Réponses critiques, tom. 2, n. 34.

(2) II. Reg. c. 24, v. 5: *Dixitque Ioab regi: Quid sibi Dominus meus Rex vult in re huiusmodi?* Et I. Paralip. c. 24, v. 5: *Responditque Ioab: Nonne, Domine, mi rex, omnes servi tui sunt? quare hoc quaerit Dominus meus?* Quasi dicat, si in *Israële* a *Dan* usque ad *Bersabee* confusus esset populus, cuius pars altera faveret, altera regi adversaretur aut invideret commodis, probarem hoc consilium, quod amicum et subditum, ab hoste atque alieno secernit. Sed omnes qui in regno *israëlitico* degunt, fideles tui subditi sunt, tuo, o rex, student honori, te cupiunt diu florentem et salvum. Quem igitur aut tibi, o rex, aut regno tuo afferet usum, haec populi tam importuna numeratio?

(3) Nam in libro primo *Paralip.* loc. cit. dicitur cum addito: *Quare hoc quaerit Dominus meus, quod in peccatum reputetur Israëli?* Dixitque his verbis *Ioab*, numerationem populi in peccatum *Israëli* reputandam fore, quia nimirum haec numeratio occasio erat peccati multorum in *Israële*. Nam *Exodi* c. 50, v. 12 et 13, lege divina praescriptum erat, ut, quando-

ternos devictos ita, ut neque in, neque extra regnum suum aliquid esset, quod timeret; solus terror sui nominis et potentia hostiles incursiones a regno *israëliitarum* longe removebat. Nulla igitur necessitas instituendi censum populi ad praecavenda regni damna, sed quoddam elati in rege animi vitium, quo sibi in tanta populi multitudine placebat, causa erat huius facti, et quidem cum periculo pariter populo praebendi occasionem peccati. Unde ipse *Ioab*, quamvis alias conscientiae minime anxiae fuerit, tamen regem a proposito numerandi populum avertere studuit, duplici usus argumento. *Primum* erat, quod nulla modo necessitas esset numerandi populum, cum omnes subditi sint tranquilli, regique addicti et obtemperantes (2); *Alterum*, quod si hic census institueretur, id *Israëli* in peccatum reputandum sit (3). Sed actum egit *Ioab*: rex perrexit urgere executionem propositi sui, et re-

cumque census populi institueretur, singuli ex recensitis dimidium sicli offerrent ad pios sumptus tabernaculi: *Quando tuleris summam filiorum Israëli iuxta numerum*, ait Dominus ad *Moysem* loc. cit., *dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, et non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti. Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen, dimidium sicli iuxta mensuram templi.* Cum igitur unusquisque eorum, qui in censum illum a *Davide* institutum essent relati, dimidium siclum deberet impendere in religiosum usum tabernaculi, neque omnes aut vellent, aut sine incommodo aliquo possent; occasio illis offerebatur a rege, ut multi peccarent, sustinerentque plagam, quam *Exod.* loc. cit. Deus minabatur illis, qui pretium illud redemptionis omitterent. Quodsi nullum aliud a rege peccatum esset admissum, hoc certe dignum fuit, propter quod mulctaretur dure, cum vanae cuiusdam curiositatis gratia absque ulla urgente necessitate in illud periculum tantam populi multitudinem traheret.

ipsa per *Ioab* illud executus est. Primum post aliquod tempus respuit, et dixit ad Dominum: *Peccavi valde in hoc facto; sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stulte egi nimis* (1).

Punivit itaque Deus non censum populi praecise secundum se spectatum, sed vanam gloriam, quae erat causa huius census sine omni necessitate, et cum multorum peccato in *Israële* instituti. Porro quod Deus numerationem populi secundum se spectatam, et in circumstantiis convenientibus institutam non prohibuerit, nec puniverit, patet ex eo, quia *Saul* (2) cogens exercitum, recensuit eos (pugnatores) in *Bezech*; fueruntque filiorum *Israëli* trecenta millia; virorum autem *Iuda* triginta millia. Nèque haec recensio a *Samuele* propheta, qui praesens aderat (3) improbata est, neque Deo displicuit, aut punita est, sed potius *Saul* post hanc recensitionem insignem victoriam de ammonitis retulit, quam populus *Israëli* singulari Dei auxilio obtentam credebant, ideoque in gratiarum actionem obtulerunt victimas pacificas coram Domino (4).

COROLLARIUM. Tam *David*, quam populus, instituto memorato censu, peccavit. In *Davide* peccatum fuit, quod citra iussum Dei, et citraneccitatem censum eiusmodi instituerit, solum ad ostentandam suam potentiam, et cum periculo satis manifesto praebendi populo occasionem peccandi. In populo vero peccatum fuit, quod tribulum semiscieli, quod in eiusmodi censu in usus templi capitatim pendidebat, in agnitionem supremi dominii Dei, a plurimis, forte a plerisque (conniven-

te rege, regiisque ministris) persolutum non fuerit. Ita *Sanctius*, *Bonfrerius*, et *Tirinus* ex *s. Augustino*, *Beda*, aliisque. Unde haud mirandum, quod geminum hoc peccatum tam gravis plaga seu poena, in regem et populum statuta, subsecuta sit.

35. QUÆRES XXXIII. *Quomodo verba illa* (2. Reg. 24, v. 9): *Dedit ergo Ioab numerum descriptionis populo regi, et inventa sunt de Israel octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium, concordent cum illis* (1 *Paralip.* 24, v. 5): *Deditque Davidi numerum eorum, quos circuierat: et inventis est omnis numerus Israel, mille millia* (i. e. millio) *et centum millia virorum educentium gladium. An octingenta millia sunt idem, ac millia cum centum millibus?* R. Haec textuum apparens contradictio tollitur, si cum *Abulensi* (5), *Menochio* (6), et aliis dicamus, numerum maiorem, qui habetur in *Paralipomenis*, esse eorum, qui recensiti seu numerati sunt, minorem vero qui habetur in libro 2 *Reg.* loc. cit. eorum, qui relati sunt in fastos regios. Quod enim non omnes, qui recensiti sunt, etiam in fastos regios relati sint, inde patet quia 1 *Paralip.* 27, v. 24 dicitur *Ioab... coeperat numerare, nec complevit: quia super hoc ira* (Dei, seu plaga divinitus immissa) *irruerat in Israel, et idcirco numerus eorum, qui fuerant recensiti, non est relatus in fastos regis David.* Nimirum res ista, ut *Abulensis* cum aliis censet, ita contigit. *Ioab* non discurrebat per singula loca *Israëli* tam magna quam parva computando omnes et singulos; quia sic numerationem populi non finivisset in

(1) II. Reg. c. 24, v. 10.

(2) I. Reg. c. 11, v. 8.

(3) Vide *Cornelium a Lap.* comment. in I. Reg. c. 11, v. 7.

(4) I. Reg. c. 11, v. 15.

(5) In II. Reg. c. 24, q. 14.

(6) Comment. in II. Reg. c. 24, v. 9.

tam brevi tempore, scilicet in novem mensibus (1); cum regnum esset valde magnum: sed habebat secum alios adiutores, ut patet ex illis Scripturae verbis (2): *Egressusque est Ioab, et principes militum, a facie regis, ut numerarent populum Israël.* Mittebat ergo Ioab istos principes per singula loca, et habebant illi libros suos particulares, in quibus describebant nomina, et summam computatorum: et erant isti multi libri, cum essent multi principes numerantes. *Ioab* autem habebat librum principalem, qui vocabatur *Fasti regis*, et in illum redigebantur nomina et summa computatorum secundum ordinem provinciarum et locorum, transcribendo de aliis libris particularibus, ut postea ostenderetur regi solum iste liber magnus factorum. Deinde cum iam computasset *Ioab* et principes militiae totum Israël, exceptis tribubus *Beniamin* et *Levi*, audivit *Ioab*, plagam exivisse a Domino in Israël propter hunc censum populi, et noluit computare residuas tribus *Beniamin* et *Levi*, cum istam recensitionem invitus (3) inchoarit, et nondum incepta illarum duarum tribuum computatione intellexerit, Dominum, ut dixi, propter institutam computationem immisisse plagam in Israël. Sed adhuc de aliis tribubus iam computatis supererant trecenta millia, quae quidem iam scripta fuerant in libris particularibus principum, sed nondum redacta in fastos regis i. e. in librum principalem *Ioab*: et noluit *Ioab* redigere illa in hunc librum suum; quia, sicut putavit, peccatum esse, si ul-

(1) II. Reg. c. 24, v. 4-9. *Egressusque est Ioab, et Principes militum a facie regis, ut numerarent populum Israël... Et lustrata est universa terra, affuerunt post novem menses et viginti dies in Ierusalem.*

tra procederet in computatione, ita putavit, peccatum fore, si ageret aliquid pertinens ad illam: pertinebat autem ad illam, redigere libros particulares in fastos regis: ideo noluit illos in hos redigere, ut clare patet ex supra citato textu I Paralip. 27, v. 24, *Ioab coeperat numerare, nec complevit etc.* Unde *Ioab* veniens in Ierusalem ostendit regi solum summam illam, quae erat in fastis principalibus, et ibi solum reperta sunt octingenta millia de Israël; quoniam trecenta millia deficiebant; quae quidem computata erant in libris particularibus, sed nondum fuerant redacta in fastos regis; sed postea ille, qui scripsit Paralipomenon, non solum posuit summam, quae erat in fastis regis, sed etiam totum, quod erat in libris particularibus; quia hi libri manebant, licet non fuerint ostensi regi, sed solum liber principalis factorum.

At INQVIES: I. Paralip. 21, v. 5 de *Ioab* dicitur: *Deditque Davidi numerum eorum, quos circumierat: et inventus est omnis numerus Israël, mille millia et centum millia virorum educientium gladium:* ergo totus iste numerus *Davidi* ostensus est. R. det *Abulensis* (4), et dicit, quod hic locus Scripturae debeat legi per intercisionem sententiae. Nimirum *dedit Davidi numerum eorum, quos circumierat*, i. e. numerum illorum, quos redegerat in fastos regis: non tamen omnes, qui recensiti fuerant, in hos fastos redegerat, ut supra declaratum est. Verba autem immediate sequentia: *et inventus est omnis numerus Israël, mille millia et centum millia*, referenda sunt ad aliud tempus, scili-

(2) Ibid.

(3) I. Paralip. c. 21, v. 6. *Nam Levi et Benjamin non numeravit; eo quod Ioab invitus exequeretur regis imperium.*

(4) Loc. cit.

cet tunc quidem non inventum est, tantum esse numerum ex fastis regis; attamen postea computando ex libris particularibus, qui non fuerant ostensi regi, inventus est iste numerus. Ita *Abulensis*. Taceo alias aliorum responsiones, quibus apparentem antilogiam hac quaest. XXXIII ventilatam tollere satagunt.

COROLLARIUM. *Si octingentis millibus virorum de Israël*, quae in fastos regis relata sunt, et de quibus 2. Reg. 24, v. 9 sermo est, addantur trecenta millia, quae in aliis libris particularibus supererant, sed in fastos regis non redigebantur, exacte prodit numerus I. Paralip. 21, v. 5 indicatus, scilicet *mille millia et centum millia virorum*, sive, quod idem est, millio cum centum millibus.

CAPUT III.

De libro III Regum.

36. QVAERES XXXIV. *An David non sit reus perfidiae, periurii, et geminae meditatae caedis, dum propinquus morti (3 Reg. 2, v. 6 et 9) Salomoni iussit, ut Ioabum et Semei interficiat, etiamsi Ioab de Davide in belligerando tam bene meritus sit, et ipse David maledico Semei poenam mortis (Ibidem v. 8) iam pridem iurato condonaverit?* R. Equidem aut nos latet, quod increduli in *Davide* praeter plura alia etiam hoc ultimum eiusdem factum vehementer vituperent. Sic famosus auctor libri, cui titulus: *Spiritus Iudaismi*, quemque hac in re etiam alii quidam increduli (1) sequuntur, ita (2) ait: « Postquam abominabilis hic princeps (*David*),

(1) Questions sur l'Encyclopédie, Gouvernement. Bible expliquée, pag. 557.

(2) Esprit du judaïsme, c. 5.

(3) Nam *Ioab* duos praecipuos israelitici exercitus duces *Abnerem*, II. Reg. c.

cuius poenitentia tantopere laudatur, tyranni in morem regnavit, etiam tanquam tyrannus mortuus est. Ingratus in *Ioab* ducem suum, cui plerasque victorias suas acceptas referre debebat... ut hunc interficiat, *Salomoni* filio suo moriens mandavit; ipsius ultima verba perfidiam et meditatam caedem spirabant ». Verum nullam ingratham in *Ioabum* animi notam ideo contraxit *David*. Scandalum fuisset in Israël, si vir caedibus ac sceleribus inquinatus, qualis erat *Ioab* (3), in extrema et felici senectute pacato et naturali sine dies suos clausisset. Unde *David Salomoni* iuste praecepit, ne hoc contingere patiatur; sed illum violenta nece de medio tollat, cum sese obtulisset occasio, et cum ipse pro singulari sua sapientia accommodam viam invenisset: *Facies ergo iuxta sapientiam tuam, et non deduces canitiem eius pacifice ad inferos* (4). Fatendum quidem, quod *Ioab* de *Davide* optime profecto meritus sit, et ipsa impunitas, quam illi *David* diutius adeo permiserat, erat veluti quaedam ob diutinos exantlatos labores remuneratio. At hoc grati animi officium nequaquam exsolvebat regem onere persequendi sceleris, atque *Ioab* ob iniuste et per insidias occisum *Abnerem* et *Amasam* (5) puniendi. Sed

DICES: Cur *David* non ipsemet occidit *Ioab*, sed id moriens mandavit *Salomoni*? R. Quia cum *Ioab* occidit *Abnerem* et *Amasam*, nondum tantam habuit potentiam *David*, ut auderet adversus *Ioab*, qui potentissimus erat, et exercitus princeps, quidquam moliri. Necdum enim in regno erat plene confirma-

3, v. 27) et *Amasam* II. Reg. c. 20, v. 10, per insidias interfecit.

(4) III. Reg. c. 2, v. 6.

(5) Ibid. v. 5; item II. Reg. c. 5, v. 27; et II. Reg. c. 20, v. 10.

tus, sed metuebat ducem *Ioab*, ne is contra se Israël concitaret, postea vero *David* bellis continuus implicitus id facere non potuit; praesertim quia duce *Ioab* indigebat; nec enim alium habebat tam idoneum, quem castris praeficeret. E contrario morti propinquus habuit regnum Israël ab intestinis tumultibus et externis bellis quietum. Quare cum silerent tunc arma, neque tunc *Ioab* amplius necessarius, imo propter grave senium (1) tolerandis porro bellorum molestiis parum idoneus esset, dare tunc potuit sine ullo reipublicae detrimento poenas effusi sanguinis. Mandavit ergo moriens *David* filio suo *Salomoni*, ut data opportuna occasione supplicium de *Ioab* sumeret, *Salomoni*, inquam, qui iam ad initium regiminis sui plena pace potiebatur (2), ideoque plena dignitate et auctoritate pollebat. Confirmat hanc responsionem nostram *Iosephus* (3), qui *Davidem* morti propinquum inducit cum *Salomone* ita loquentem: « Memento etiam iniquitatis *Ioab*, qui propter aemulationem duos duces istos interemit. In eum tuo arbitrato animadvertes, quandoquidem hactenus poenam evasit, quod me ipso esset potentior. »

Quod autem *Semei* attinet, cui *David* poenam mortis iurato remisit, notandum, quod *David* solum iuraverit, quod ipse illum non sit interfector: *Iuravi ei per Domi-*

(1) Quod *Ioab* tunc senio gravis, et bellorum molestiis porro tolerandis parum idoneus fuerit, inde colligitur, quia non minus annis quadraginta castris praefuit, ab ipso nimirum exordio regni *Davidici*, atque ideo, cum ad illam praefecturam, seu ducis officium tricenario minor non videatur fuisse promotus, sequitur, quod sub tempore obitus *Davidis* verisimiliter annum aetatis septuagesimum iam attigerit, aut saltem a septuagenario non abfuerit procul. Cano certe eum fuisse capite, ipse docet *David* III. Reg. c. 2, v.

num, dicens: *Non te interficiam gladio* (4), ac si diceret: Polliceor, ac iuro tibi, me, quoad vixero, te non interfectorum. Unde non fuit periurus *David* mandando *Salomoni*, ut occideret *Semei*, quia, cum illi mortis reo pepercit, praecise iuravit, se non occisurum illum. Et licet verba *Davidis* aliter a *Semei* forent accepta, immo iuxta communem acceptionem aliter sonarent; tamen sensus iuramenti iuxta *Davidis* mentem erat, neque illo die, neque sua manu, aut dum ipse viveret, occidendum esse *Semei*. Pietatis igitur, et clementiae *Davidis* fuit, Deo, quoad ipse vixit, relinquere iniuriarum, quibus impetitus fuerat, ultionem, at non ideo iustitiae obesse poterat, et pati, ut scelus publicum, atque facinorosum abiret impune. Unde ultionem illius commendavit *Salomoni* filio et successori suo sumendam eo tempore, quo non ira, non vindictae libido adversus inimicos, sed iustitiae amor eam imperaret. Ita hanc rem explicant *Abulensis*, *Sanctius*, *Calmet*, *Menochius*, et *Cornelius a Lap.*

37. QUÆRES XXXV. An *Salomon* (3. Reg. 2, v. 25, iuste egerit, fratrem suum *Adoniam* occidendo? R. affirmative. Equidem d. de *Voltaire*, teste cl. *Weissenbach* (5) hoc factum respiciens, audacter dicit, Deum, qui *Salomoni* spiritum sapientiae dedisset, paulo post spiritum iustitiae et humanitatis abstu-

6 de *Ioab* dicens: *Non deduces canitiem eius pacifice ad inferos*. Vide haec de re *Sanctium* comment. in III. Reg. c. 2, v. 8, n. 22, aut alios interpretes.

(2) Ipse *Salomon* III. Reg. c. 5, v. 4, de se dicit: *Nunc autem requiem dedit mihi Dominus Deus per circuitum, et non est Satan* (i. e. adversarius seu inimicus) neque occursum malus.

(3) L. 7 antiq. c. 12.

(4) III. Reg. c. 2, v. 8.

(5) Tom. 2 Nova forma theol. bibl. q. 25, pag. 84.

lisse. Verum contra hunc et alios quosdam dico, et cum Natali *Alexandro* (1), *Abulensi* (2), aliisque ita statuo: *SALOMON IUSTE EGIT FRATREM ADONIAM OCCIDENDO*. *Probatur I.* Rebelles, qui regnum iniuste affectant, et regem legitimum e solio deturbare moliantur, a rege, aut supremo principi morti addici possunt; sed talis fuit *Adonias*, et *Salomonem* regem legitimum e solio deturbare moliebatur: ipsum itaque *Salomon* iuste morti addixit. *Probatur minor*. Cum enim *Bethsabee* pro eo ad *Salomonem* supplex accessisset (3), *Abisag* sunamitidem, quae *Davidi* coniuncta fuerat, ut senem foveret, *Adoniae* postulatorem uxorem, compertum habuit *Salomon*, ipsum res novas moliri, nec a prioris coniurationis ambizioso consilio, quod vivente adhuc *Davide* foras eruperat (4), destitisse. Unde *Salomon* matri respondit (5): « Quare postulas *Abisag* sunamitidem *Adoniae*? Postula ei et regnum: ipse est enim frater meus maior me, et habet *Abiathar* sacerdotem, et *Ioab* filium *Sarviae*. » (In more enim fuisse videtur apud hebraeos, ut regum viduae nemini nisi regi in matrimonium darentur) « Iuravit itaque rex *Salomon* per Dominum, dicens: Haec faciat mihi Deus, et haec addat, quia contra animam suam locutus est *Adonias* verbum hoc. Et nunc vivit Dominus... quia hodie occidetur *Adonias*. Misitque rex *Salomon* per manum *Banaiae* filii *Ioiadae*, qui interfecit eum, et mortuus est. »

Probatur II. Iudicium illud capitale *Salomonis* in *Adoniam* fratrem s. Scriptura nullibi accusat,

(1) Dissertat. in histor. ecclesiast. veteris Testamenti, ad hunc locum Scripturae.

(2) In III. Reg. c. 2, q. 27.

(3) III. Reg. c. 2, v. 19-22.

aut improbat. Immo *Ecclesiastici* cap. 47 ponuntur laudes *Salomonis* et peccata eius: et ibi nihil dicitur de violenta morte *Adoniae*. At si *Salomon* peccasset occidendo illum, peccatum fuisset grave nimis, utpote iniustum fratricidium: et Scriptura non subticuisset tam grave peccatum: et tamen non ponit illud cum aliis peccatis *Salomonis*. Ergo *Salomon* non peccavit occidendo *Adoniam*. Sed

38. OPPONES I. *Adonias* veniam affectati regni vivente patre a *Salomone* obtinuerat (6): inique ergo videtur egisse *Salomon*, cum ipsum interfici iussit ob coniurationem antea condonatam, sicque initio regiminis sui fraterno sanguine manus foedavit. R. Et dico, *Adoniam* veniam non impetrasse a *Salomone* nisi condonatam, ea scilicet lege, ut nihil novi moliretur, nec ambitu suo et fastu novarum suspicionum ansam praeberet, quae laesae maiestatis crimen ita condonatum excitant. Cum enim *Adonias* timens *Salomonem*, ad cornu altaris confugisset dicens: « Iuret mihi rex *Salomon* hodie, quod non interficiat servum suum gladio; » respondit *Salomon* his verbis: « Si fuerit vir bonus, non cadet ne unus quidem capillus eius in terram: sin autem malum inventum fuerit in eo, morietur (7). » At *Adonias* novam coniurationem cum *Ioabo* et *Abiathare* contra *Salomonem* fecit post mortem *Davidis*, quod ex eo colligitur, quia narrata *Adoniae* morte et *Abiatharis* pontificis exauctoratione et exilio, subdit sacer historicus (8): « Venit autem nuntius ad *Salomonem*, quod *Ioab* decli-

(4) III. Reg. c. 1, v. 3, etc.

(5) III. Reg. c. 2, v. 22-26.

(6) III. Reg. c. 1, v. 52 et 53.

(7) Ibid. v. 32.

(8) III. Reg. c. 2, v. 28 et 29.

nasset post Adoniam, et post Salomonem non declinasset. Fugit ergo Ioab in tabernaculum Domini, et apprehendit cornu altaris. Nuntiatumque est regi Salomoni, quod fugisset Ioab in tabernaculum Domini, et esset iuxta altare. » At nisi fuisset coniurationis reus, maleque sibi conscius, non fugisset. Nova itaque coniuratio contra Salomonem facta est ab Adonia, Ioabo, et Abiathare, quam etiam prodidit perspicacissimo et sagacissimo Salomoni petitio facta ab Adonia per Bethsabeam, ut sibi liceret coniugem accipere Abisag sunamitidem viduam, et prius Davidi coniunctam (1).

OPPONES II. Ius suum persequeretur Adonias: regnum enim ipsi primogeniti iure debebatur: Unde Bethsabeam sic alloquitur (2): *Tu scis quia meum erat regnum*, et ipse Salomon ad eandem de Adonia dixit (3): *Ipse est enim frater meus maior me*. Nemo porro iuste interficitur ob eam causam, quod rem suam repetat. R. I. Etsi ius ad regnum habuisset Adonias, eodem merito privatus fuit a patre Davide, quod eo vivente regiam potestatem usurpasset; prout in Scriptura (4) distincte narratur. Unde regno in Salomonem fratrem paterna sententia translato, non potuit Adonias in Salomonem coniurare, quin fieret maiestatis reus. Id eleganter expressit s. Ambrosius (5) dicens: « David eousque precavit, ut, cum Adoniam filium regnum sibi usurpare comperisset, et serere conventus, non eum, qui praeripere gestiebat, sed eum, qui expectaret, eligeret. » R. II. Et dico, Adoniam, quamvis Salo-

(1) Ibid. v. 17-26.

(2) Ibidem v. 15. (5) Ibidem v. 22.

(4) III. Reg. c. 4, v. 5, etc.

(5) In priore Davidis apologia, c. 6.

(6) Vide Ioannem de Pineda de rebus

mone natu maiorem, nullum ius ad regnum habuisse, quia regni successio (6) ex patris etiam voluntate pendeat. Unde Roboamus multis filiis potens Abiam, non primogenitum, sed quartum, et ex tertia uxore susceptum, regem constituit, quia sapientior erat, et potentior ceteris fratribus suis numero viginti septem (7). Denique Dei electione, in cuius manu sunt omnia iura regnorum, Salomon rex constitutus erat. Dixerat enim Dominus Davidi per Nathan prophetam (8) « Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum eius. Ipse aedificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni eius usque in sempiternum. » Quae verba de Salomone intelligenda esse, patet ex I. Paralip. 22, v. 11, ubi David ad Salomonem ait: « Nunc ergo, filii mi, sit Dominus tecum, et prospere, et aedifica domum Domino Deo tuo, sicut locutus est de te. » Item ex eo, quia Salomon re ipsa domum seu templum Domino aedificavit. Ceterum divina dispositione collatum Salomoni regnum Adonias ipse haud ignoravit, cum ad Bethsabeam dixerit (9): *Sed translatum est regnum, et factum est fratris mei: a Domino enim constitutum est ei*. Id autem noscens Adonias, non potuit absque perduellionis crimine regnum ambire, adeoque iuste a Salomone occidi iussus est.

39. QUARES XXXVI. An Salomon (3 Reg. 2, v. 26 et 27) Abiatharem summum pontificem iure exauctoraverit? R. affirmative. Nam qui conscius fuerat coniurationis Adoniae (de qua praecedente quae-

Salomonis, l. 2, c. 4, ubi de iure succedendi.

(7) II. Paralip. c. 41, v. 22 et 25.

(8) II. Reg. c. 7, v. 12 et 15.

(9) III. Reg. c. 2, v. 15.

stione egimus), ipsiusque partes contra Salomonem legitimum regem auctoritate sua iuverat, merito est exauctoratus sacerdotio: immo capitali poena dignus erat: atqui Abiathar sacerdos coniurationis Adoniae in Salomonem legitimum regem conscius erat, eiusque partes auctoritates sua iuverat iuxta illud (1): *Et sermo ei (nempe Adoniae) cum Ioab filio Sarviae, et cum Abiathar sacerdote, qui adiuvabant partes Adoniae*. Iuste igitur sacerdotio exauctoratus est a Salomone. Imo ipsum saltem iure extraordinario defensionis capitis damnare poterat Salomon, sed sententiam clementia laudabiliter temperavit ob reverentiam sacerdotii, et vetera Abiatharis in Davidem officia. Hunc autem exauctorando, iudicium Dei hac occasione executus est, qui pontificatum a familia Ithamari in poenam peccati Heli et filiorum eius (2) ad primaevam Eleazari stirpem, ex qua erat Sadoc loco Abiatharis a Salomone in exercendo summi pontificatus officio substitutus (3), transferri decreverat. Unde Scriptura ait (4): « Eiecit ergo Salomon Abiathar, ut non esset sacerdos Domini, ut impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo. »

CONFIRMATUR ex Theodoro (5) dicente: « Erat quoque (Abiathar) obnoxius crimini tyrannidis, ut qui opem tulisset Orniae, sive Adoniae. Sed divinae quoque praedictionis administrator fuit Salomon. Heli enim (sacerdoti summo) et per celeberrimum Samuelem, et alium prophetam praedixit Deus generis ignominiam. Hoc autem historia quoque ostendit », ni-

(1) III. Reg. c. 1, v. 7.

(2) I. Reg. c. 2, v. 52 et 55.

(3) III. Reg. c. 2, v. 55. Et Sadoc sacerdotem posuit pro Abiathar.

(4) Ibid. v. 27.

mirum sacra. Addit enim verba Scripturae paulo ante a me laudata (6) Theodoretus. Sed

40. OPPONES: Non erat ius principi laico exauctorandi summum sacerdotem: ergo Salomon Abiatharem iniuste pontificatu deposuit. R. Salomon non privavit eum ordine sacerdotali, sed solum officio seu usu et exercitio dignitatis pontificalis. Certe 3 Reg. capite 4, v. 4 Abiathar adhuc numeratur inter principes Salomonis, et Sacerdos vocatur: *Banaias filius Ioiadae super exercitum: Sadoc autem et Abiathar sacerdotes*.

COROLLARIUM. Mala est argumentatio, qua teste Suarez (7) usus est Iacobus rex Angliae, quaque utuntur Puffendorfius, alique ex protestantibus, ita argumentando: *Salomon eiecit Abiathar, ut non esset sacerdos Domini*: ergo rex fuit pontifice superior in veteri lege; ergo etiam eo superior est in lege nova habetque ius in personas etiam sacras. Nam R. I. cum Suarezio (8), hanc obiectionem fundari in re valde dubia, scilicet an in lege veteri pontifex esset exemptus a iurisdictione regis quoad civilia, sive criminalia. Quidquid vero de hoc sit, et etiamsi daremus, pontificem in lege veteri non fuisse exemptum a potestate coercitiva regis, nullum inde argumentum sumi potest ad tempus legis gratiae. Nam potestas regum in lege gratiae non est maior, quam fuerit in lege veteri; in utraque enim est mere civilis et naturalis ordinis ac originis, quamvis in lege veteri fuerit specialiori modo a Deo collata. Dignitas autem et potestas pontificia in lege nova

(5) Quaest. 9 in lib. III. Regum.

(6) III. Reg. c. 2, v. 27.

(7) L. 5 adversus anglicanae sectae errores, c. 26.

(8) Loc. cit.